

quae voluptate alitur, nec inopia enecta, nec satietate affluentia (quorum utrumque praestringere aciem mentis solet, sive deest naturae quippiam, sive abundat atque affluit); illa etiam tertia parte animi, in qua irarum exsistit ardor, sedata atque restincta: tum eveniet, duabus animi temerariis partibus compressis, ut illa tertia pars rationis et mentis eluceat, et se vegetam ad somniandum acremque praebeat; tum ei visa quietis occurrent tranquilla atque veracia.“

Jubet igitur Plato, sic ad somnum proficiisci corporibus affectis, ut nihil sit, quod errorem animis perturbationemque afferat. Ex quo etiam Pythagoricis interdictum putatur, ne faba vescerentur, quod habet inflationem magnam is cibus, tranquillitati mentis, quaerentis vera, contrariam. Quum ergo est somno sevocatus animus a societate, et a contagione corporis, tum meminit praeteritorum, praesentia cernit, futura praevidet. Jacet enim corpus dormientis, ut mortui; viget autem et vivit animus.

Div. II. 58. Somniorum defensio repetita quam longe est? Divinos animos censemus esse nostros, eosque esse tractos extrinsecus, animorumque consentientium multitudine completum esse mundum: hac igitur mentis, et ipsius divinitate, et conjunctione cum externis mentibus, cerni, quae sint futura. Contrahi autem animum Zeno, et quasi labi putat atque concidere, et id ipsum esse dormire. Jam Pythagoras et Plato, locupletissimi auctores, quo in somnis certiora videamus, praeparatos quodam cultu atque victu proficiisci ad dormiendum jubent. Faba quidem Pythagorei utique abstinuere: quasi vero eo cibo mens, non venter infletur. Sed, nescio quomodo, nihil tam absurde dici potest, quod non dicatur ab aliquo philosophorum. Utrum igitur censemus, dormientium animos per semetipsos in somniando moveri, an, ut Democritus censemus, externa et adventitia visione pulsari? Sive enim sic est, sive illo modo, videri possunt permulta somniantibus falsa pro veris. Nam et navigantibus